


David Chyträus

**ORATIO IN || FVNERE D.DORO=||THEAE, FILIAE FRIDE=||RICI I. REGIS DANIAE:
CONIVGIS || Illustrißimi Principis CHRI=||STOPHORI, Ducis || Megapolensis, etc.||
Gustrouiae || Habita || à || DAVIDE CHYTRAEO.||**

Rostock: Ferber, Augustin d.Ä., 1575

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn884648893>

Druck Freier  Zugang



ORATIO IN
FVNERE D. DORO.
THEÆ, FILIÆ FRIDE-
RICI I. REGIS DANIÆ: CONIUGIS
Illustrissimi Principis CHRIS-
TOPHORI, Ducis
Megapolensis, &c.

Gustroniæ
Habita

à
DAVIDE CHYTRÆO.



ROSTOCHII
TYPIS AVGVSTINI
FERBERI.
Anno M. D. LXXV.

ILLVSTRISSIMO
 PRINCIPI ET DOMINO
 D. CHRISTOPHORO, DVCI MEGA-
 polensi, Principi gentis Henetæ, Comiti Suerini,
 Domino Rostochij & Stargardiæ, &c.
 Domino clementissimo.



ACCIPERE clementi Dux illustrissime
 vultu,
 Coniugis in mæsto funere dicta
 tuæ.

DOROTHEÆ, donū quæ summi illustre parentis,
 Heroinarum gloria, fama, decus.
 Iure quidem lugens. humili sed corde voluntas
 Nostra voluntati subijcienda DEI est.
 Iam tua reginis cæli addita regia coniunx
 Pro patriæ atq; tua vota salute facit.
 Hac gratemur ei de prosperitate beata,
 Et nos ad mortis quisq; paremus iter.
 Oro Deum Pylie florenti fausta senectæ
 Vt tibi det mihi pectore fata, Vale.

ORA-

589

ORATIO IN
FVNERE D. DORO-
THEAE, FILIÆ FRI-
DERICI I. REGIS DANIÆ: CONIUGIS
ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS
CHRISTOPHORI,
Ducis Megapolensis, &c.



OFFICIUM pietatis & gratitudinis benignissimo DEO, bonos & salutare Principes et Heroinas virtute præstantes his regionibus tribuenti, & optimis principibus ac Dominis nostris clementissimis debitum flagitat, vt in hoc publico totius inclytæ domus Megapolensis luctu, singuli doloris nostri societatem, & mæstitiæ ac amoris significationem: omnibus, quæ à nostra subiectione & reuerentia proficisci possunt, officijs declaremus. Luget Illustrissimus Dux CHRISTOPHORUS Generosissimam & regia stirpe satam coniugem, verè Dorotheam, omnibus virtutibus regie matronæ conuenientibus à Deo donatam, morte heu nimis immatura euocatam. Illustrissimi Ducis VLRICI

Regia coniunx carissimam & unicam Sororem
 vnice desiderat, quam non adeo propter naturæ &
 sanguinis vinculum arctissimum, quàm virtutum
 illius pulcherrimarum admiratione, ardentissime
 dilexit: ideoq; hoc augustum Templum, pietate &
 munificentia sua splendide instauratum & expoli-
 tum, commune sibi & sorori vsq; ad extremum
 diem quiescendi cubiculum esse vult, vt quæ ab
 ipsius complexu morte reuelli heu sola poterat:
 possit nec morte reuelli.

Optimi Principis Iohannis Alberti generosif-
 sima coniunx, iuniorum Ducum Megapolensium
 mater piam materteram deslet. Illustrissimi Prin-
 cipes ipsi, se fratris Christophori & coniugum
 suarum mærore, ex animo affici ostendunt.

Vt igitur in communi hoc patriæ principum
 & omnium ordinum luctu, pietatem Deo & prin-
 cipibus patriæ debitam, non vestitu & lacrymis
 solum, verum etiam honorifica commemoratione
 & laudibus virtutum Heroïnæ defunctæ ostenda-
 mus: Decreui cum in hoc Illustrissimæ principis
 Dorotheæ funere, Orationem habere iussus sim:
 vt memoria virtutum ipsius diuturnior sit, & De-
 us author virtutum, quæ in ea fulserunt, agnosca-
 tur & laudetur: alij quoq; tam illustri exemplo ad
 pietatem & decus excitentur: breui elogio, pieta-
 tem & mores defunctæ Dominae honestissimos ce-
 lebrare, vbi pauca primum, de Funerum et luctu-
 um publi-

521

um publicorum ritibus, eorumque causis, fuero
præfatus.

Deum oro, ut dicentis mentem ac linguam
gubernet. & à tota hac Illustrissima principum
& procerum ac Doctorum corona reuerenter &
officiose peto, ut tenuem & mæstam orationem,
sed huic tempori & loco maxime ut arbitror con-
gruentem, candidè & benignè audiant.

Semper Ecclesia inde ab initio pias funerum
& sepulturæ ceremonias seruauit, & in bonorum
principum ac gubernatorum obitu, publicos lu-
ctus & orationes funebres institui voluit, non
ostentationis & pompæ inanis causa, ut Ethnici
postea fecerunt: nec tantum ut testimonia amoris
ergà defunctos ederentur, & memoria eorum
prædicatione virtutum velut verno rore rigata
cresceret & propagaretur: verum multò magis
ut superstites & viui funus comitantes, de rebus
grauissimis & maximis, de summa fragilitate &
fugacitate vitæ humanæ, morbis, morti, & alijs
tristissimis calamitatibus singulis momentis ob-
noxia; de causis mortis & ingentium miseriarum
humanarum, peccato videlicet, & ira Dei aduer-
sus peccatum; de veris & firmis consolationibus
morti opponendis: de remissione peccatorum & li-
beratione à morte, per & propter filium Dei pro
nobis mortuum & resuscitatum: qui, ut Cypriani
verbis utar, hominis filius fieri dignatus est, ut

nos Dei filios faceret: formam serui assumpsit, vt
 nos seruos peccati & mortis in libertatem iusticie
 & vitæ filiorum Dei vindicaret: vulneratus est,
 vt vulnera nostra sanaret: funus mortui filij vi-
 duæ in Naim omnipotenti & viuifica manu sua
 tetigit, vt funera nostra viuificaret: mortem a-
 cerbissimam innocens sustinuit, vt nobis mortali-
 bus immortalitatem restitueret: præterea vt de
 resurrectione corporum in terra seminum instar
 depositorum, de extremo iudicio, quod singuli post
 mortem subituri sunt, & vita ac lætitia cum Deo
 beata & æterna, superstites, inquam, & viui, fu-
 nus deducentes commonescerent & erudirentur.
 Atq; ita se hominum mortem à pecudum interitu,
 quo redit in nihilum, quod fuit ante nihil, discerne-
 re testarentur: & communibus precibus mitiga-
 tionem publicarum miseriarum impetrarent: &
 suam quisq; vitam & mortis iter à Deo regi &
 gubernari peterent. Est enim vita donum Dei, cui-
 us conseruationem & spacia longiora optare à
 Deo singuli debemus, non vt ociôsè voluptatibus
 tantum tranquille fruamur, sed vt doctrinam de
 verò Deo & redemptore nostro Iesu Christo, cui-
 us notitiam in hac vita incoari oportet, discamus,
 vsu ac exercitijs vitæ confirmemus, & nostros li-
 beros & alios ad veram agnitionem cultum veri
 Dei nostra voce & exemplo inuitemus, ac vt ali-
 qui senes sapientia, vsu rerum & authoritate præ-
 stantes,

Cur longam vitam optemus?

stantes, docere & gubernare alios iuniores, & propagare doctrinam, & plures ad Ecclesie aeternae societatem adiungere possint.

De his maximis rebus, ad doctrinam & consolationem uiuentium spectantibus, ut cogitarent homines, Funerum ritus à primis patribus instituti, & inde in omnes gentes deriuati sunt. Quae etiamsi plures impias ceremonias postea miscuerunt, ut Pontificij etiam, exequias & sacrificia pro defunctis, & purgatorium, ab Ethnicis acceperunt, de quibus nunc non est dicendi locus: tamen multorum rituum similitudo ostendit, eos magna ex parte à patribus acceptos, & velut putamina, amisso nucleo verae doctrinae & consolationis de promisso Messia, retentos fuisse.

Illustrissimus Aegypti princeps Ioseph, patre Iacobo, in vera agnitione promissi seminis pie ad populum suum congregato, luctum publicum toti prouinciae dies 70. indicit: & lotum patris corpus, in testimonium & honorem resurrectionis aromatibus condiri & balsamo ungi curat: & magna nobilium & sacerdotum frequentia stipatum, ad sepulturae locum, per miliaria circiter 50. deducit in Hebron, ut in eo ipso vestigio, ubi promissio de liberatore venturo edita erat, vitae restitutionem corpus expectaret.

Rex & poeta David, socero Saule & fratre Ionatha in praelio interfectis, non solum acerbe

A 4

cum

cum omnibus suis mortem eorum deflet: Verùm etiam, carmen seu orationem Funebrem & Epicedion quo soceri & fratris virtutem & laudes honorificè celebrat, ipsis componit: idq; ab omnibus in Iuda legi & edisci, & ad memoriam perpetuam in toto regno cani, & conseruari ad posteritatem iubet.

Pium Principem, regem Iosiam, omnes ordines lugent, et in omnibus regni oppidis cantores et cantrices lugubribus elegijs scribuntur optimi principis sui & patris patriæ interitum deplorassee. ac Ieremias ipse, qui tum præcipuus Doctor & propheta in regno erat, concione funebri regem laudasse in paralipomenis memoratur.

Incensi etiam & odoramentorum, in historia regis Asa mentio fit, quæ in exequijs ipsius inflammata sint. vt nunc thymiamata accendi, & Faces ardentes præferri funeribus solent (vnde nomen funeris à funibus & cereis accensis extitisse quidam arbitrantur) & in Romanorum principum funeribus postea, magnos aromatum accruos esse crematos, & plurimas faces prælatas, quibus rogam incenderunt, in Herodiani historia legimus.

Ritus in
Funeribus

Soliti enim sunt veteres Græci & Romani honestiores, corpora defunctorum, exemptis intestinis, primum aqua gelida lauare: vt apud Euripidem Theseus cadauera Ducum ad Thebas caeso-

rum

rum suis manibus ablucens, cum aliqui funestum hunc laborem principe indignum & alijs mandandum esse dicerent, humanissime respondet: Non turpe esse Hominibus, aliorum hominum, principum imprimis virtute præstantium, miserijs & calamitatibus affici.

Lota cadauera condiebant aromatibus & oleo ungebant. & vel corpora ipsa, vel Imagines ad eorum similitudinem proximè effictas, in lecto sublimiore seu feretro, aromatis & herbis fragrantibus consperso, aliquot dies spectanda, in domuum vestibulis collocabant: adponentes illis arma, libros, gemmas, vel alia quæ viuos præcipue delectassent. ac principum lectis Romæ magnam diei partem assidebant, à leua patritij & nobiles, vestibus atris amicti: à dextera nobilissimæ matrone, deposito ornatu omni, vestibus albis exilibus velata.

Inferiorum ordinum funeribus adhibebantur mercede conductæ præficæ lachrymis luctum de mortuo suum testantes.

Destinata Funeri die, magna Pompa, in qua cereæ imagines omnium maiorum & illustrium virorum illius familia, cum singulorum elogijs, præferebantur, feretrum ad rogam deduxerunt, vbi primum oratio Funebri de laudibus defuncti habita est. deinde congesta aromata & suffimenta omnis generis, quæ cum rogo inflammarentur.

A 5 De-

Deposito verò ad rogum cadaueri, cognati valedixerunt, & præcisas comas, vel alias res preciosas, interdum ipsi se, in ignem, facibus cognatorum accensum coniecerunt. Combusto cadauere, ossa & cineres reliquos, urnæ inclusos, in agris, aut ad vias publicas, terra mandabant, imposito cippo, cui nomen & Epitaphium mortui inscribebatur. In his ritibus, multos cum Ecclesiæ Dei moribus antiquissimis congruere, sed amissa vera doctrina de causis mortis & Christo liberatore, verè cadaueri, animæ inani, similes esse apparet. Itaq; ad descriptiones funerum & luctuum in historia sacra redeo.

Ezechiel enim, depositæ in luctu coronæ nominatim mentionem facit, & ornatus auri & margaritarum omnis, & velati oris (vt nunc quoq; matronis honestis vsitatum est) discalceatorum pedum, eiulatus & lacrymarum, quas in Flentisteria colligere Romani postea solebant. Ac coronas non gestari tempore luctus, adeò seuerè à Romanis olim seruabatur, vt in secundo bello punico, multis insignibus viris ad Cannas interfectis, equitem, qui coronam rosaceam in capite gestans ex fenestra fortè prospexerat, censores in carcerem duci iusserint, quod in publica totius Reipublicæ mæstitia, voluptati priuatæ inconsideratius indulisset. Et Athenis Demostheni probro datum est, quòd die septima post mortem filie coronatus in publico sacrificio fuisset.

Præ-

Præterea barba & coma capitis in luctu detonsæ Ezechiel meminit. Ut enim insigne & speciosum viri ornamentum est, Os verax, honesta barba vestitum: & fœminas ac virgines, sponsam præcipuè, pudicum caput speciosis & passis crinibus fuluis conspicuum non dedecet: ita luctus tempore viri tondebant crines, & fœminæ cognatæ præcisas comas in rozum cremandas cum funere abijciebant. Tametsi maiores nostri lugentes barbæ sylvam intonsam crescere sinebant. Nam in hisce ritibus, quod consuetudini regionum & nature ac moribus consentaneum est, culpari morosè non debet.

In Euangelij historia deduci funera à cognatis & vicinis ad sepultura loca extrâ ciuitates sita & candidis sindonibus et sudarijs corpora mortuorum inuolui solita esse videmus.

Filia Iairi mortua, Tibicines lugubre carmen fortasse Mosis Psalmum 90. canunt, & eadem opera populum ad funeris deductionem conuocant, & singulos de sua morte admonent: vt proximis hebdomadis, in omnibus prouinciæ huius oppidis, eris Campani pulsu homines de illustrissimæ principis Dorotheæ funere, & singuli de sua morte, ac vt tempestiuè vera pœnitentia & fide se ad eam præparent, commones facti sunt. Postea Christiani, candidas vestes, baptizatis indui solitas (quibus nunc quoq; in baptismo Ecclesiæ superioris Germaniæ

Germania vtuntur : ad quas nomen Dominica in albis, & lactantij versus: Candidus egreditur nitidis exercitus vndis, & c. alludunt) feretro defuncti imposuerunt. Vnde huc vsq; mos albo linteamine tenuiorum sandapilas tegendi mansit. Tametsi diuitibus lanei panni color pullus, ethnicis etiam vsitatus, aptior luctibus videtur.

Martyrum temporibus, cum publici congressus Ecclesie, tyrannorum edictis & senicie prohiberentur: pij noctu ad martyrum corpora excubabant, & lectione Psalmorum, Iobi, & concionum Christi & Apostolorum de resurrectione & vita beata, se mutuo consolabantur. Vnde vigiliarum nomen huc vsq; durauit. & alicubi totus liber Psalmorum ad sandapilam legitur, antequam terra mandetur,

Sed he lectiones & ritus funerum omnes, commonefaciendis & consolandis viuis & morientibus seruiunt, non defunctis. Quos suam lampadem, oleo fidei ac bonae conscientiae fulgentem, secum ex hac vita auferentes, statim in Abrahæ sinum seu cœtum piorum, qui in vera agnitione & inuocatione benedicti seminis Christi, Abrahæ promissi, ex hac vita discesserunt, Christus transfert: ubi animæ eorum in fasciculo iustorum colligatae sunt (vt venustissima nobilissima matronæ Abigaelis phrasi ex Gyneco bene morato sumpta, vtamur) ac vt patriarchæ in veteri Testamento loquuntur

quantur, congregata sunt cum populo suo, qui ante ipsos, fide promissi seminis discedentes, in cœtum beatæ Ecclesiæ translati & collecti sunt.

Cum autem in hoc beatorum fasciculo colligatam Illustriss. Dominæ Dorotheæ animam, in manu Dei beatam quiescere nō dubitemus: ipsi quidem ex tabernaculo corporis imbecilli & assiduus morbis obnoxij eductæ, & ab omni dolore & cruciatu iam liberatæ, felicem migrationem in cœlestem quietem gratulemur: Sed nostra causa dolcemus, has regiones, tali Domina, cuius pietate & precibus multæ calamitates publicæ leniri, et multis pijs, pauperibus, fortasse etiam scholasticis & alijs difficultates & miseriæ leuari potuissent, orbatas esse. Grati etiam, pietatis & virtutum ipsius memoriam seruemus & ad posteros transmittamus. Ideo enim Deus excellenti virtute illustres homines ornat, ut alij in eorū exempla intuentes, Deum authorem virtutis agnoscant, & vita ac moribus exprimere studeant & imitari.

Nata est autem princeps DOROTHEA in nobilissima totius orbis nostri Arctoi, Regum Danie familia, patre FRIDERICO I. cui tantum virtutis, industriæ, fidei, prudentiæ, magnitudinis animi, moderationis & diligentia in omni genere, amplissimi Regni Danici ordines tribuerunt, ut turbato intestinis dissidijs regno, & rege Christierno sponte ex patria profugo, huius Friderici patrocinio

procinio & tutela potissimum, suam libertatem,
 fortunas & salutem commendare vnanimes tot
 gentes non dubitarint. Nec expectatio de regis
 virtute concepta eos fefellit: cui, felicibus in tota
 gubernatione & defensione regni successibus &
 virtute excellentium filiorum ac filiarum flore,
 Deus benedixit: inter quos, Christiani III. Danie
 regis pietas, sapientia, magnitudo animi, modera-
 tio in rebus secundis, constãtia in aduersis, fortitu-
 do & felicitas in gerendis bellis, iustitia & equitas
 in gubernatione togata, benignitas & munificen-
 tia in Ecclesias, literarum studia & pauperes exi-
 mia, non solum in his terris ad omnem posteri-
 tatem, sed in cœlesti etiam Ecclesia in omni eter-
 nitate celebrabitur. Qui hoc etiam nomine felici-
 or fuit quod Fridericum filium vt etiam nomine
 ita virtute, auo similem, regni heredem reliquit.
 Quem vt cum nobilissima Regina, Illustriss. Ducis,
 nostri VLRICI filia, incolumem & florentem
 Deus, qui dat salutem regibus, seruet usq̃ longam
 vitam, bona & salutaria sibi & regno consilia, &
 successus in tota gubernatione secundos tribuat:
 toto eum pectore precemur.

Sed ad Fridericum defunctæ D. Dorotheæ pa-
 trem redeo: qui ex prima coniuge Anna (quæ ma-
 tris Ducum Megapolensium amita fuit) filia Io-
 hannis Electoris Brandeburgensis, filij Alberti, qui
 ob virtutis excellentiam Germanicus Achilles di-
 ctus

Etus est: filium, quem dixi Christianum III. genuit, & filiam Dorotheam I. optimo & sapientissimo principi, Alberto, Duci Borussie uuptam, matrem Annæ Sophiæ, coniugis Iohannis Alberti principis Megapolensis clementissimi: quæ, utriusque auia, maternæ Brandenburgensis, & paternæ, filiæ Casimiri regis Poloniæ, nomina iuncta tenet.

Ex altera coniuge Sophia, principis Heroica virtute præstantis B V G I S L A I X. & Annæ, eiusdem Casimiri Poloniæ regis filia, Illustrissimos Holsatiæ Duces procreauit, Iohannem Seniore, qui exemplo benignitatis erga Ecclesias, Scholas, literarum studia & pauperes, hoc tempore omnibus cæteris principibus præluceat: Adolphum belli pacisq; artibus præstantem: Fridericum episcopum Hildesensem: & filias tres, Elisabetham nostri Domini Ducis V L R I C I coniugem Heroicam cuius præsentis virtutem prædicare pudor vetate deinde Annam, & Dorotheam II. Illustriss. principis Christophori Megapolensis coniugem beatam cuius exuuias nostri & lugentes hoc tempore humanus.

Inprimis autem, pium & optimum regem, pulcherrimo Dorotheæ nomine, quod D E I donum esse piam & prudentem uxorem admonet, delectatum esse apparet: quod, superstite adhuc filia Dorothea, Duci Borussie elocata, huic etiam nostræ

nostra Domina attribuit: Nam & mater regis
 Friderici I. Dorothea fuit, filia optimi principis
 Iohannis Ducis Voithlandia, qui filius Friderici
 Burggrauj Noribergensis primi in ea familia ele-
 ctoris Brand. primogenitus: & Friderici, Alber-
 tiq; Achillis Germanici frater fuit: Cum autem in-
 genio placidiore & ocij liberalis amans esset: pa-
 ter Fridericus testamentum conditurus, euocatis
 ad se quatuor filijs, Iohanne, Friderico, Alberto, &
 altero Friderico: petit à Iohanne primogenito,
 vt ipsius voluntate, marchionatum Brandebur-
 gensem, cui ius eligendi Imp. coniunctum est, Fri-
 derico fratri etate proximo, qui acriore animo
 & laborum tolerantior esset, conferre liceret. Cu-
 pere enim se in familia illa, in quam ipse primus
 dignitatem electorum à Sigismundo Imp. collatam
 intulisset, conseruari. Videre autem se Iohannem
 quietis & tranquillitatis cupidiorum: Electoris
 verò dignitatem cum perpetuis curis & labori-
 bus coniunctam esse. Ideo se Friderico illam tuen-
 dam: Iohanni vero Voithlandiam: Alberto, Franco-
 nie partem, relicturum esse. Hanc patris sententi-
am cupidissime Iohannes amplexus, beneficio sin-
 gulari se affici iudicauit, quod sibi ocium, fratri
 Friderico negotium, extrema patris voluntate re-
 linqueretur. Huius Iohannis filiae fuerunt: Barba-
 ra Ludouici Mantuani marchionis vxor, quam
 inter matronas sui seculi forma & moribus præ-
 claram

claram, Aeneas Syluius celebrat: & hæc nostra Dorothea, primùm Christophoro Palatino, Ruper-
 ti Cæsaris nepoti, (qui rege Erico in Pomera-
 niam redeunte ad regnum Danicum vocatus est)
 deinde Christiano I. Adolphi Ducis Sleswicensis,
 post Christophori mortem electi, ex sorore Hed-
 wige nepoti nupta, cuius posteritas, Dei benefi-
 cio, Daniae & Norwegiae regna, & vicinas Sles-
 wici & Holsatiae regiones, iam annos amplius
 130. possedit.

Hæc Principum nomina & Genealogias
 iunioribus notas esse prodest, ut virtutem He-
 roicam in his nobilissimis familijs agnoscere di-
 scant: & DEO gratias agant, quòd bonos & sa-
 lutares reges, ac Reginas, non arctois solum insu-
 lis, sed Germaniae etiam parti, ac Saxoniae inpr-
 mis vtriq; ex regum Daniae & Ducum Holsatiae
 stirpe dedit: eumq; ardentibus votis precentur, ut
 totam hanc inclytam familiam regum Daniae,
 Ducum Megapolensium & Holsatiae, quorum pa-
 trocinio & tutelae Deus hanc arcteam Germaniae
 partem regendam commendauit, clementer ser-
 uet, & nos omnes doceat & gubernet.

Etsi autem magnum & excellens decus est,
 in regia familia natum esse, & semina virtutum à
 maioribus accepta habere: rectè enim existimatur
 in familijs Heroicis, motus animorum generosio-
 res & feliciores, diuinitus insitos, in posteros pro-

B

pagari,

pagari; tamen multò maius Dei donum est, Deum rectè agnoscere, & piè colere, & à Deo regi & protegi. Itaq; nostra etiam Princeps Dorothea, non tam generis nobilitate gloriabatur, quàm quòd familie omnium laudatissimæ, videlicet Ecclesie Dei inserta erat.

Accessit autem ad natiuam indolem diligentia parentum, qui adsuefactione ad virtutem & disciplinæ sanctitate, naturam bonam, & sua sponte ad decus exercitatam expoliuerunt. Cumq; pater Rex Fridericus, non fucosa animi pietate flagraret: & viuens liberos suos ad veri Dei agnitionem & virtutis studium præcipuè institui curauit, & discessurus ex hac vita, coniugi assistenti, dulcissima communis thori pignora ad gloriam diuini nominis educanda commisit.

Quantum autem momenti hæc materna institutio in filiabus præcipuè ad veram & solidam virtutem effingendis attulerit: specimen illustre iam totos 30. annos, toti huic Ducatui, & vicinis gentibus, hæc duæ sorores, & Dorotheæ I. filia, tribus Ducibus Megapolensibus & Dominis nostris fratribus nuptæ, ostendunt, in quibus verè cõspici & oculis subiici potest, quod Syracides inquit: Vt Sol in excelso cælo, mirificum totius huius pulcherrimi rerum nature theatri lumen & decus est: ita mulierem honestam & præcipuè principis coniugem Heroica virtute præstantem, non modò ma-

riti

Mulier

riti sui coronam, sed etiam totius prouincie & regni lumen & ornamentum esse.

Verè enim penu virtutis generosa mulier, & magnum ac totis gentibus salutare bonum est, coniunx principis pia, prudens, benefica, amans pacis & salutis publicæ, beneuolens Ecclesijs & literarum studijs, iuuans pauperes, Scholasticos, denique materna storgi Rempublicam & subditos complectens, ac, vt sapiens Abigail, tempestiue, reuerenter & modestè maritum officij sui interdum admonens, qualis in Romanorum principum historijs Placilla, Theodosij magni coniunx celebratur, quæ marito ad Christianæ pietatis doctrinam sinceram passim in toto imperio propagandam, & Idolomanias Ethnicorum abolendas hortatrix assidua fuit, & propter beneficentiam erga inopes philoptochos nuncupata est. cuius pietatem & benignitatem non modo Placidia priuigna, verùm etiam Pulcheria neptis imitata, primùm fratri Theodosio iuniori, cuius consilia, à prima ætate præcipue rexit: deinde marito, imperatori Martiano, assidue de retinenda puritate doctrinæ monitrix fuit. ac Synodos celeberrimas, Ephesinam I. & Chalcedonensem, huius fœminæ consilio potissimum conuocatas fuisse ex historijs constat.

Tales Heroinas fuisse, & esse nostra ætate, regis Friderici filias & neptes, DOROTHEAM Bo-

B 2

rusiaco

russiaco principi nuptam, & hanc nostram Dorotheam & ceteras adhuc superstites, grata posteritas prædicabit.

Nostra certè DOROThea, non in templis solum adsiuè & attentè doctrinam de Deo & redemptore nostro Iesu Christo sonantem audiuit, sed domi etiam singulis diebus certas horas lectioni librorum sacrorum, & piarum explicationum tribuit, & vota ad Deum & gemitus ardentis lectioni miscuit. nec omnes omnium fanaticorum opiniones vbicunq; sparsis amplexa est, nec more Academico seu Epicureo potius, qui nunc summa sapientia esse à prophanis iudicatur, in his controversijs de religione adfensionem cohibuit, sed hanc solam esse veram æternam et immotam de Dei essentia & voluntate sententiam statuit, quæ cum verbo Dei in libris sacris Ecclesiæ tradito, quos confirmandæ assensionis & fidei causa quotidie euoluebat, congrueret, & in his Ecclesijs Dei beneficio sonaret. Hanc sibi sacram ancoram in omnibus actionibus & periculis & vniuersæ vitæ curriculo esse ducebat.

Ostendit autem & testimonia fidei illustria, in veræ doctrinæ, quam pater Fridericus, & frater, Rex sanctus, Christianus III. amplexi erant, & in Ecclesijs Daniae & Holsatiæ publicè proponi curarant, constanti professione: in precibus ad Deum adsiuis & quotidiana inuocatione; in moderatione

deratione mœroris & dolorum in morbis & alijs rebus aduersis, quas, etsi summo loco nata erat, tamen multas se indignas, à quibus minimè oportebat, perpeffa est: deniq; hoc ipso extremo agone, in quo conspectum est, eam ingenti robore fidei cruciatus seuissimos, à calculo renum, obstructio-
ne lienis, disuria & alijs morbis ortos, tolerasse: & victis pauoribus mortis, ^{coelum petere} magno ac ardenti desiderio futuræ illius & beatæ cum Deo & vniuersa Ecclesia cœlesti consuetudinis arsisse: repententem subinde recitationem Psalmi 103. & alias Euangelij voces quæ docent immensa Dei misericordia & amore gratuito, certò nos propter filium mediatorem à Deo recipi & in vitæ æternæ ac beatæ possessionem venire.

Celebrant Ethnici suas Alcestides, Cornelias, Lucretias, Hypsicrateas, Minyarum vxores, quæ cum mariti earum viri nobiles à Lacedæmonijs ob conspirationem aduersus Rempublicam capti & capitali sententia damnati essent, antequam supplicium de ijs more Laconico media nocte sumeretur, veniam à magistratu adhuc semel adeundi maritos ante mortem petiuerunt, Qua impetrata, ingressæ custodiam velata pepulis facie circa vesperam, consilium dant maritis, vt mulierum vestibus indutis, obscuro noctis inuentis crepusculo, carcere excedant. Viri obtemperantes, & pepulis ora obnubentes, singultibus inter excundum cre-

B 3

bris

Hæstor.

N3.

bris fletum simulantes, non modò fallunt custodes in tenebris, verùm etiam ad misericordiam eos commouent. Media nocte veniens spiculator, mulieres solas virorum vestibus amictas, adesse intelligit. Quare statim ad magistratus delata, illi fœminarum amorem & fidem erga maritos admirati, incolumes eas dimitti iusserunt.

NB.

Laudatur Timoclea, principis Thebanj coniunx Heroica, cuius domum, captis ab Alexandro Thebis cum Dux Macedonicus insolens & auarus occupasset, qui nò modò pecuniam, vasa, gemmas, verùm etiam noctu voluntati suæ morem geri, ab hospita flagitabat: illa præsentis animo, se, ipsi iam Domino suo & victori, nihil quod à se præstari posset, negaturam ostendit.

Defodisse autem se instante vrbis obsidione, in exiccata horti vicini cisterna aurum & monilia quæ habeat preciosissima. Eum thesaurum se, virginibus suis comitatam, ipsi soli monstraturâ esse. Capitaneus auaritia & libidine cæcus, ducem illam sequens, solus in puteum descendit. Ibi Timoclea & virgines, subtractis scalis, lapidibus nefarium prædonem obruunt & obtruncant. Re ad commilitiones delata, atrociter accusatur Timoclea & ad Alexandrum vinc̃ta adducitur. Cum autem ex vultu & incessu Heroico animum Heroine generosum Alexander agnosceret: interrogat, cuius vxor sit; Illa intrepidè respondet, mari-
tum

Castitatis Exemplum

tum sibi fuisse, Theagenem principem Thebanum, qui contra Macedones pro patriæ libertate dimicans, ne quid se & suis indignum ferre aut videre cogeretur, in prælio ad Cheroneam interfectus sit. Quòd si eadem ipsi deinceps expectanda sint, quæ præterita nocte Macedo ille impurus flagitare ausus sit: malle se statim interfici, quàm casti pudoris & virtutis decus violare. Hanc animi magnitudinem & virtutem Timocleæ admiratus Alexander, etsi gravissimè ab interfecti ducis amicis ad supplicium posceretur, tamen & ipsam absoluit, & omnes eiusdem familiæ proceres conseruauit.

Hæ etsi excellentes virtutes, & verè Eoo & Hespero formosiores sunt, & pulchritudine ac fulgore suo omnium oculos perstringunt: tamen longè præstantioribus & proprijs Ecclesiæ Dei, quarum prorsus ignari & expertes sunt Ethnici, nostra princeps ornata fuit, vera agnitione & cultu veri Dei & redemptoris nostri Iesu Christi: vera **FIDE** in **DEO** sibi propter filium mediatorum propicio, firmiter & tranquillo animo, in omnibus ærumnis & rebus aduersis adquiescens: vera inuocatione **DEI** nitente Christo mediatore nec dubitans se et preces suas Deo placere et exaudiri: vera & ardenti Dilectione Dei, constanti patientia sine fremitu & indignatione in perpetuis ferè morbis & alijs ærumnis Deo obediens; & in ipsa morte, firma fide & **SPE** vitæ aternæ dolores

B 4 lenicus

leniens, & placide ex hac vita ad eternam Dei & Ecclesie cœlestis consuetudinem discedens.

Hos virtutum Ecclesie Dei propriarum radios, ipse SOL iustitiæ Filius Dei in corde principis Dorotheæ habitans, accendit & sparsit.

Ceteras etiam virtutes suo sexui & vitæ generi conuenientes, prælucente vera agnitione Christi & fide, quæ omnium virtutum Deo placentium mater est: sincero & simplici studio obediendi Deo & illustrandi gloriam Dei, religiose semper Domina nostra coluit. Cumq̄ non studio solum & diligentia, sed naturali etiam inclinatione, seu potius spiritu Dei gubernante, ad grauitatem & modestiam, ab omni fastu, curiositate & lasciuia alienam duceretur, & spiritu verè miti ac leni & castissimo prædita esset: nulla in ea significationes vitæ liberioris vnquam animaduersæ sunt. non gestu indecentiore, non voce, nō oculis, non iocis aut fabellis lepidioribus, quàm quæ honestissimam & sanctissimam virginem & matronam decerent, vnquam vsa est. ac ad eandem virtutem nobiles virgines suas adsuefecit, distribuit ipsis certa lectionum & precationum tempora, monuit nullum esse ornamentum huic sexui maius, nec ad conciliandum amorem efficacius, quàm pudicitiam & veræ virtutis studium, vt in hanc sententiam venustissime à sapientibus dictum est; Non formam, sed mores esse, qui ornent fœminam.

In coniugio hanc sibi curam præcipue complectendam esse ducebat, ut marito, sua virtute, lenitate & suauitate, veri & sinceri erga eum amoris flaminas in suo pectore ardentes modestè declararet. nec fax dissidiorum inter adfines erat sed concordiam mariti et principum fratrum summo studio fovebat.

Fuit in ea & verè materna beneuolentia erga domesticos & omnes subditos, quos non fastidiosè contemnebat ut inferiores, sed tanquàm pares societate ecclesiæ & virtute, complectebatur. erga pauperes benefica erat. rem familiarem prudenter & frugaliter administrabat. Veritatem, candorem, simplicitatem in omni sermone, gestu, vita & moribus amabat. à simulatione, maledicentia, obtreptione & similibus vitijs, quæ Euripidis versus huic sexui tribuit, alienissima semper fuit. deniq; verè congruerunt ipsius mores ad regulam Pauli: Saluabitur mulier, si manserit in fide, dilectione, castitate & temperantia.

Vita igitur piè & sanctè perpetuo actæ, exitus similis respondit. Toto hoc tempore, quo decubuit, mores erant placidissimi, quales in reliqua Vita esse solebant. nulla indignatio, nulli fremitus animaduerti poterant. sed quia mens Domino Deo, qui iustissimo sapientiæ & iustitiæ suæ ordine naturam nostrâ peccato viciatam morti subiecit, placidè obedire decreuerat: & firma fide Christum

pro nobis mortuum, & resuscitatum, vt omnibus ad eum confugientibus vitam & gloriam donaret aeternam, intuebatur: lata consuetudinem cœlestis Ecclesiæ expectabat, & horulam suam, qua ex miseris vitæ huius liberata ad Christum seruatorum suum transferretur, citò venire ardenti gemitu optabat.

Sermones assidui erant de D E O, de bonitate & misericordia Dei, de Christo redemptore, de miseris vitæ humanæ, de veris consolationibus, de vita aeterna; quibus vota & preces ad Deum ardentes miscebat, sæpe has ipsas voces repetens: Inuoco te omnipotens aeternæ & vnice Deus pater Domini nostri Iesu Christi, vnâ cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo & spiritu sancto conditor cœli & terræ & Ecclesiæ tuæ, sapiens, bone, misericors, iuste & verax. Te solum esse verum Deum statuo, qui te illustribus testimonijs in tua Ecclesiâ patefecisti. & verè credo hanc esse tuam voluntatem, quæ in verbo tuo tradita est. Firmissime statuo, omnes confugientes ad filium tuum Iesum Christum pro meis & omnium hominum peccatis crucifixum, mortuum & resuscitatum, à te recipi, & aeterna iustitia & vita donari. vt dixit filius tuus: Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed vitam habeat sempiternam. Et, De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos,

Ero

Ero mors tua & mors, ero exitium tuum & inferne. Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. His concionibus Filij tui veracis et omnipotentis, nihil dubitans asfentior. ac te supplex oro, vt mei miserearis, & remittas mihi omnia peccata mea propter Filium tuum Iesum Christum, quem pro nobis voluisti fieri victimam, mediatorem & deprecatores sanctifica me Spiritu sancto tuo: accende pectus meum, vt firmiter promissioni filij tui, quam suo sanguine & resurrectione obsignauit, assentiar: libera me ex hoc agone, exalta me de portis mortis, vt te in omni eternitate videam & celebrem. Oro etiam, vt carissimum dominum & maritum meum, carissimam sororem, sororis maritum & filiam, fratres & principes ad fines regas & serues, & facias eos vasa misericordiae, per quae Deo grata fiant, & in his regionibus lucem verae doctrinae & politias honestas clementer tuearis.

Inter haec vota & has confessiones, à corpore Anima sancta, & Deo cara, placidissime discessit, de labore ad requiem, de agone ad brauium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad patrem emigrans, cum paulò ante Psalmum Benedic anima mea Domino, praefante initia singulorum versuum sorore, integrum absoluisset. Quare beatam frui nunc conspectu, sermonibus & sapientia Dei & seruato-

& seruatoris sui Iesu Christi, & totius Ecclesie
 cœlestis consuetudine, non dubitemus: versariq; in
 cœtu cœlestium reginarum Eua, Esther, Abigaë-
 lis, Mariæ matris Christi, Helene matris Con-
 stantini magni, Placillæ coniugis Theodosij, et san-
 ctarum virginum, idem Dorothea nomen haben-
 tium, Romanæ, Aquiliensis & Alexandrinæ, mar-
 tyrij coronam constanti veræ pietatis confessione
 olim adeptarum. deniq; patrem etiam suum regem
 Fridericum: fratrem Christianum, quo nullus his
 temporibus rex sanctior vixit: Sororem Dorothe-
 am natu maximam, Alberti Borussia Ducis lau-
 datissimi coniugem, & matrem Sophiam quæ ante
 paucos annos ipsam præcessit, læta iterum com-
 plectitur.

Cùm enim Animæ nostræ æternùm maneant,
 & imago Dei perpetuò in nobis fulsura sit: nec
 minima pars Imaginis Dei & animæ nostræ im-
 mortalis, sint Storgæ, quibus parentum, libero-
 rum, coniugum & cognatorum animos inter se
 Deus deuinxit & copulauit: non dubium est in
 amorem parentum & liberorum & coniugum
 inter se mutuum, in omni æternitate mansurum
 esse.

Ut igitur Filium viduæ mæstæ in oppido Na-
 im Christus resuscitatum, matri reddidit: ita om-
 nes beatos in Domino mortuos, singulos suæ ma-
 tri, sororibus, fratribus & alijs amicis, quibus in
 hac

hac vita noti fuerunt, restituet. sicut de mortuo fi-
 lio David inquit, Ipse ad me non reuertetur, sed ego
 ad ipsum veniam: Et patriarcha Iacob se cum pa-
 tribus suis congregatum iri post mortem adfir-
 mat. Et Iob in summis ærumnis hac se consolatio-
 ne potissimum sustentat: Scio quod redemptor me-
 us uiuit etc. Quem visurus sum ego ipse, & oculi
 mei conspecturi sunt. Mosen & Eliam cum Chri-
 sto transfigurato in monte colloquentes agnoscit
 Petrus. Christum & plurimos patres & alios san-
 ctos vnà resuscitados cernunt Maria Magdalena,
 & Apostoli, & alij oculis mortalibus. multò ma-
 gis anima & corpore spiritali & clarificato, be-
 ati in cœlis, Christum & se mutuo cognoscent, vt
 Adamus Euam nunquam ante visam, ex sua car-
 ne & ossibus factam perspexit. nam hæc illustris
 cognitio Dei & operum Dei omnium, qualis in
 Adamo primum condito fuit in vita æterna re-
 stituetur. Cumq; vt stella stellæ antecellit claritate,
 sic Gloriæ beatorum gradus in cœlis futuri sint,
 certè agnosci eos & discerni necesse erit. Nulla
 enim sine agnitione & celebratione Gloria esse
 potest.

Lazarus mortuus statim Abrahami conspectu
 & complexu fruitur, & vterq; videt impium epu-
 lonem in pœnis. Vicissim impij Iudicem Christum
 sanctos in hac vita spretos & oppressos videbunt
 cum timore horribili, admirantes, & præ angus-
 tia

stia animæ gementes, vt liber sapientiæ testatur:
 Quare multò magis p̄ se mutuo agnoscent, & suo
 sinu ac complexu suos recipient multò suauius
 & dulcius quàm Ioseph, post 22. annorum inter-
 uallum, carissimum fratrem vterinum Benjamin,
 & senem patrem Iacobum, & ceteros fratres, præ
 gaudio lachrymans complectitur.

In hoc dulcissimo beatorum cœtu & com-
 plexu cùm Illustrissimam Principem Dorotheam,
 nunc lætam viuere, & gaudere se ex huius ærum-
 nosæ & perpetuis morbis obnoxia vitæ ergastulo
 liberatam esse, & ardentibus votis, sui mariti, su-
 perstitis sororis, fratrum & harum regionum sa-
 lutem Deo commendare sciamus: ipsi quidem pla-
 cidam & beatam migrationem gratulamur. Et
 quanquam nostra causa meritiò dolemus, Domi-
 nam tantis ornatam Dei donis tam cito à nobis
 abductam esse: tamen Deo gratias agamus, quòd
 tantum decus & exemplar virtutum, & Ecclesiæ
 ac calamitosorum patronam, his regionibus de-
 dit.


Ideoq; memoriam laudatissimæ Domine per-
 tuò conseruemus, & propter gratitudinem & vt
 ex eius vita fidei & virtutum exempla sumam-
 mus.

Oremus etiam ardentibus votis filium Dei,
 vt lucem veræ religionis, & virtutis ac doctri-
 næ

ia studia, in his gentibus seruet, & illustrissimos
principes nostros, eorumq; coniuges, & li-
beros generosissimos, regat, vt eorum
gubernatio sit Ecclesie & Rei
publica harum regio-
num salutaris.

D I X I.





rusiaco princip
theam & cater
ritas predicabi


Nostra cer
lum adsiue &
demptore nostro
domi etiam sing
librorum sacro
tribuit, & vota
lectioni miscuit.
opiniones vbi
Academico seu
sapientia esse a p
uersijs de religio
solam esse veran
sentia & volun
verbo Dei in lib
confermande af
euoluebat, congr
nesicio sonaret.
nibus actionibu
curriculo esse da

Ostendit au
in vera doctrina
ter, Rex sanctus
& in Ecclesijs I
ni curarant, con
Deum adsiuis e

nc nostram Doro
tites, grata poste

non in templis so
am de Deo & re
antem audiuit, sed
tas horas lectioni
m explicationum
gemitus ardentis
ium fanaticorum
lexa est, nec more
, qui nunc summa
atur, in his contro
cohibuit, sed hanc
motam de Dei es
statuit, quæ cum
esia tradito, quos
lei causa quotidie
Ecclesijs Dei be
m ancoram in om
& vniuersæ vitæ

ia fidei illustra,
ridericus, & fra
I. amplexi erant,
ia publicè propo
ne: in precibus ad
uocatione; in mo
deratione



the scale towards documen